

1316-1316- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Montempessulanum Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
Hec sunt acta capituli generalis apud Montempessulanum celebrati
Anno Domini · M° · CCC° · XVI° ·

Iste sunt confirmationes.

Confirmamus hanc constitutionem: In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: cui socius competens a priore provinciali et diffinitoribus assignetur, addatur sic: qui diffinitor et socius solum de suis provinciis assumantur; quod etiam de electoribus magistri ordinis volumus inviolabiliter observari. Socii etiam priorum ad provinciale capitulum et electores provincialis tantum de suis conventibus eligantur. Et hec habet · iii · capitula.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de graviore culpa, ubi dicitur: nisi per magistrum, deleatur: nisi, et dicatur sic: ac donec. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: de lapsu carnis manifeste convictus fuerit, addatur: vel pena carcerali punitus extiterit. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: ante tres annos ad minus, addatur: a tempore sui regressus ad ordinem, vel quo fuit de carcere liberatus. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc: In capitulo de electione magistri ordinis, ubi dicitur: si magistrum ordinis ante festum sancti Michaelis mori vel amoveri contigerit, addatur: vel in ipso festo. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: quod dictum scrutinium alicui per modum aliquem non revelent, addatur: per quem de persona absolvente noticia haberi valeat; et eodem precepto fratres, qui diffinient in capitulo generali, quoad scrutinia priorum provincialium et diffinitores capituli provincialis quoad scrutinia priorum conventualium volumus obligari. Et hec habet · ii · capitula.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis circa finem, ubi dicitur: in ipso tantum capitulo in omnibus obtinebit, deleatur totum, quod sequitur usque ad illum locum: si autem priorem provinciam in capitulo generali etc., et dicatur sic: donec prior provincialis eiusdem provincie sit electus et confirmatus et ipse provincialis vel ille, cui ipse vices suas commiserit, presens in provincia extiterit, ut superius est expressum, vel magister ordinis vel capitulum generale in predictis casibus aliter ordinaverit.

Item. Cum de nonnullis provinciis gravem et lamentabilem querimoniam audierimus, quod fratres per terrores aut preces dominorum aut principum molestias licenciantur ad dignitates extra nostrum ordinem infra dignitatem episcopalem, et sic licenciati electiones seu postulaciones de se factas cum ordinis scandalo prosequantur, volentes cum effectu huic morbo pestifero obviare, inchoamus hanc: in capitulo De itinerantibus, post illud, ubi dicitur, quod per magistrum ordinis vel provinciam suam ad huiusmodi suffragia restitui mereantur, addatur: precipimus autem in virtute sancte obediencie et spiritus sancti prioribus provincialibus et conventualibus et eorum vicariis, quod nulli fratri electo vel postulato extra ordinem ad quamcumque dignitatem, presulatum, gradum infra dignitatem episcopalem, licenciam concedant huiusmodi electiones vel postulaciones aliquatenus acceptandi vel alio modo quolibet prosequendi. Eodem precepto prohibemus, ne frater aliquis licenciam sibi datam contra prohibitionem huiusmodi premissas electiones seu postulaciones ullatenus per se vel per alium prosequatur. Quicumque autem in premissis secus fecerint, incurrant excommunicationis sententiam ipso facto; quam sententiam ferimus presenti statuto; et nichilominus omnibus graciis ordinis sint privati, ad quas restitui non valeant nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale. Et ut istis excessibus efficacius et plenius obvietur, precipit magister ordinis de voluntate et consilio diffinitorum fratribus universis, quod ex nunc premissa omnia inviolabiliter teneant et observent.

Item. Cum propter distanciam provincie Terre sancte et propter difficultatem veniendi et mittendi ad magistrum ordinis, sepe et longo tempore priore provinciali careat, non sine gravi dampno et dispendio provincie memorate, volentes circa hoc salubriter providere, inchoamus hanc: in capitulo de electione prioris provincialis, post illud, quod dicitur: quod si in die statuta non elegerint vel postulaverint, qui debent eligere, potestas providendi ad magistrum ordinis transferatur, addatur sic: si tamen provinciam Terre sancte mori vel amoveri contigerit in capitulo generali aut antequam ad suam provinciam pervenerit, vel electum seu postulatum contigerit non confirmari seu confirmatum mori aut absolvi, antequam pervenerit ad suam provinciam, in hiis casibus electio provincialis ad prefatam provinciam non pertineat, sed ei de priore provinciali magister ordinis provideat vel capitulum generale.

Item. Cum pro eo, quod diverse provincie ad generalia studia, Parisiensi excepto, possint unum tantum fratrem mittere pro studente, multa incommoda et dispendia subsequantur, tum quia sic assignatis communiter opportuno tempore socius non occurrit, tum etiam quia studia posita sunt in remotis, fratres accedendo ad illa gravant seipsos et provincias in expensis, inchoamus hanc: in capitulo de studentibus, ubi dicitur: quilibet autem provincia etc., dicatur sic: quilibet autem provincia, exceptis Hispanie, Ungarie, Terre sancte, Polonie, Dacie, Grecie et Boemie, provideat, ut semper in conventu aliquo ydoneo sit generale studium et sollempne, et ad illum locum quilibet prior provincialis de diffinitorum capituli provincialis vel maioris partis eorum consilio et assensu

potestatem habeat mittendi duos fratres idoneos ad studendum modo videlicet infrascripto, ut scilicet ad studia provinciarum Lombardie inferioris, Romane provincie, regni Sicilie, Theutonie, superioris Lombardie tantum duos fratres mittere possint ipse nunc nominate provincie et cum eis provincie Ungarie, Grecie, Polonie et Dacie. Ad studia vero provinciarum Tholosane, Anglie, Aragonie, provincie Provincie et Saxonie mittere tantum possint similiter duos fratres, ipse nunc nominate provincie et cum eis provincie Hyspanie, Francie, Terre sancte et Boemie. Quelibet autem provincia divisa mittere possit · iiiii · fratres ad studium provincie condivise.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Cum facilitas licencie apostatis et aliis fratribus ad alium ordinem transeundi vergat in nostri ordinis et regularis observancie notabile detrimentum, prioribus provincialibus ac eorum vicariis inhibemus, quod huiusmodi licencias sine causa evidenti et necessaria ac maturo consilio non concedant. Ad monachos autem nigros nullatenus licenciam sine diffinitorum suorum capitulorum provincialium consilio et assensu. Quod si contrarium fecerint, per magistrum ordinis vel capitulum generale taliter puniantur, quod sint ceteris in exemplum. Prioribus autem conventualibus et eorum vicariis interdicens, quod nulli fratri dent licenciam ad alios ordines transeundi, ac eis super hoc simpliciter omnem subtrahimus potestatem. Quod si secus fecerint, sint ipso facto a suis officiis absoluti et nichilominus omnibus graciis ordinis sint privati; ad quas restitui non valeant nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Item. Cum ordinacio facta in capitulo generali Carcassone celebrato¹ ad compescendos fratrum discursus inutiles atque vagos non sit debite observata, ex quo non pauca scandala ac pericula ordini sunt suborta, volumus et ordinamus, inviolabiliter observari, quod priores et eorum vicarii, fratres suis conventibus deputatos extra terminos suorum conventuum non licencient, nisi pro gravi infirmitate ipsorum vel parentum suorum vel eorum morte vel ad vitandum grave ordinis scandalum vel pro tam evidenti necessitate et utilitate conventuum aut eciam singularium fratrum, quod non possit sine notabili detrimento ac eciam periculo provincialis licencia expectari; et tunc de consilio plurium discretorum licencient. Licenciati vero constitutionem de litteris testimonialibus portandis et presentandis diligenter observent, in quibus causa ipsius licencie generaliter vel specialiter et terminus exprimentur. Quicumque autem prior vel eius vicarius premissa inventi fuerint non servasse, teneantur indispensabiliter infra quindenam per triduum in pane et aqua abstinere, ita quod talis penitencia sit conventui manifesta. Quam si cessante infirmitate non impleverint, per provincialem vel eius vicarium statim cum de ipsius excessu legitime constiterit, a suis officiis absolvantur. Fratres vero, qui absque huiusmodi litteris testimonialibus ad conventus quoscumque declinaverint, per priores vel suppriorum conventuum, ad quos pervenerint, auctoritate nostra voce ad unum annum priventur et conventui, de quo sunt, hanc privacionem factam significant per suas literas speciales. Quod si hanc penam privacionis imponere noluerint vel neglexerint, statim cum a suis officiis fuerint absoluti, voce ad unum annum sint ipso facto privati.

Item. Cum ex vago discursu apostatarum quam plurima scandala generentur, concedit magister ordinis et imponit prioribus provincialibus, conventualibus ac eorum vicariis, ut huiusmodi apostatas undecumque oriundos ad expensas provinciarum seu conventuum, ad quos spectant, cum debita diligencia perquiri faciant atque capi; inhibens districte fratribus universis, quod huiusmodi apostatas infra conventum vel extra ad quamcumque familiaritatem vel servitium non admittant nec teneant pro scriptore. Quicumque vero contrarium fecisse fuerint deprehensi, per suos priores provinciales vel conventuales taliter puniantur, quod sit ordini satisfactum et ex punicione huiusmodi ceteri similia facere non presumant.

Item. Cum ex hoc, quod magister ordinis omnes provincias ordinis non possit commode propter earum distanciam et alia impedimenta legitima personaliter visitare, volumus ac eciam ordinamus, eidem magistro cum reverencia debita imponentes, quod ad provincias sic distantes et in quibus non consueverunt communiter capitula generalia assignari, necnon et ad insulas visitatores auctoritate sua mittat, potestatem eis tribuens super dictas provincias et insulas, prout iudicaverit expedire.

Item. Volumus inviolabiliter observari, quod in presentacione bacalareorum Parisiensium et eorum expedicione ordinaria de cetero nulla alternacio observetur, sed illo ordine, quo legerunt sentencias ordinarie presententur, ita quod posterior in lectura sentenciarum priori in presentacione et expedicione huiusmodi nullatenus preferatur. Precipit autem magister ordinis in virtute sancte obediencie et spiritus sancti de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, quod ordinacionem huiusmodi vel execucionem per se vel per alium infringere non procurent. Et ut parcat laboribus et expensis, volumus ac eciam ordinamus, quod absque mandato magistri ordinis speciali, primo bacalareo presentato iuxta prefatam ordinacionem et in omnibus expedito, prout quantum ad istum articulum alias extitit consuetum, bacalareum antiquiorem in lectura sentenciarum prior Parisiensis cum magistris actu legentibus, qui presentes fuerint, studeat absque omni fraude quamtocius domino Parisiensi cancellario presentare. Quicumque autem huiusmodi ordinacionis per se vel per alium inventus fuerit temerarius violator, si magister fuerit, execucionem magisterii perpetuo sit privatus; si bacalareus, ad magisterium non ascendat; et si frater alius, voce et conventu Parisiensi perpetuo sit privatus, nisi cum ipsis per magistrum ordinis vel generale capitulum dispensetur.

Item. Cum presenciam magistrorum in theologia in conventu Parisiensi sit multum ordinis honorabilis ac eciam fructuosa, volumus, quod semper alternatim unus de magistris actu legentibus, cum cessat legere, in prefato

¹ Cf. supra pag. 57 l. 21 sqq.

conventu remaneat, donec alter actu legens habeat successorem; qui etiam supplere teneatur, si in scola aliqua sit defectus.

Item. Cum servum Christi litigare non deceat, sed potius materias licium amputare, interdicimus prioribus ac fratribus universis, ne causas aliquas precipue contra episcopos ac superiores prelatos inchoent sine suorum provincialium licentia et assensu.

Item. Cum de alternandis capitulis generalibus facta sit pluries inchoatio et interdum approbatio subsequuta et rationes appareant pro et contra, et apud graves personas admiratio non modica sit de celebratione capitulorum generalium tam frequenti; nolentes circa hoc aliquid attemptare, volumus et imponimus, quod in singulis capitulis provincialibus huius anni super hoc diligens collatio habeatur, et quod visum fuerit singulis provinciis, mittatur ad sequens capitulum generale². Item. Cordi habentes quam plurimum ordinationem factam in generali capitulo anno preterito Bononie celebrato de assignatione seu mutatione, immissione seu emissionem fratrum a conventibus, in quibus imminet aliqua electio facienda, ac provisione infirmorum et indigentium vestibus necnon et de incauta visitatione suspectarum mulierum vitanda, insuper et de numero studencium in generali studio ponendorum et provisione ipsorum, de retractione ipsorum a discursibus et familiaritatibus mulierum, necnon et omnia alia, que ad profectum sciencie et utilitatem studencium fuerunt in prefato capitulo ordinata, volumus et imponimus arcius solito observari³.

Item. Ordinamus et inhibemus districte, ne predicatorum generales fiant isto anno in illis provinciis, in quibus numerus ipsorum predicatorum generalium numero conventuum sue provincie maior fuerit vel equalis; tamen loco illorum, qui ad capitula communiter venire non possunt, alii substitui poterint iuxta numerum eorumdem; quos tamen propter hoc ab huiusmodi officio non intelligimus absolutos.

Item. Cum intellexerimus congregaciones aliquas per priores et fratres alios in quibusdam provinciis esse factas, ex quibus apud exteriores non modica admiratio et apud ordinem grandis et gravis commotio et turbatio sunt exorte, congregaciones huiusmodi omnino fieri prohibemus; volentes nichilominus et imponentes, quod priores provinciales sic acriter puniant, quos ex nunc reppererint circa hoc excessisse, quod sit ceteris ad terrorem, et nichilominus quam cito poterunt commode, scribant magistro ordinis ipsorum nomina et excessus tam temerarii gravitatem.

Item. Cum quidam tractatus, scripta sive reportaciones theologie a fratribus nostri ordinis compilati sine examinatione et approbatione ordinis contra constituciones publicati, fratres a communi et salubri doctrina retrahant et possint saltem simplicibus dare occasionem errandi, volumus et ordinamus, quod priores provinciales in suis capitulis provincialibus de consilio diffinitorum studeant de tali remedio providere, quod huic defectui salubriter obvietur, dictumque remedium, quam cito poterunt, studeant magistro ordinis intimare, et ipse videat, si circa tale remedium sit aliquid immutandum. Magistro etiam ordinis imponimus, quod examen de mandato suo factum ex ordinatione generalis capituli Metis novissime celebrati⁴ de predictis tractatibus, reportacionibus sive scriptis executioni mandet, secundum quod in presenti diffinitorio concorditer est conclusum.

Item. Precipit magister de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus ad Romanam curiam presumat accedere absque sui licentia speciali; et sic licentiati de nullo negocio se intromittant in predicta curia nisi cum procuratoris ordinis licentia et assensu.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Yspanie, Theutonie et Boemie.

Item. Priores conventuales, Podii Cerdani, Tolonensem, Coquilibrum, Valentini, Albenacii, Marsilianensem, Cistaricensem, Podianum, Alestensem; et volumus et ordinamus, quod priores provinciales et conventuales absoluti hoc anno in eisdem provinciis ac conventibus ad eadem officia nullatenus assumantur.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro imminente electione summi pontificis et bono statu ecclesie quilibet sacerdos · iii · missas.

Pro venerabilibus patribus ac dominis domino Nicholao Hostiensi et Velletrensi episcopo⁵, domino Nicholao tituli s. Eusebii⁶ et domino Guillelmo tituli s. Cecilie⁷, presbiteris cardinalibus, quilibet sacerdos · iii · missas et quilibet conventus · iii · missas, unam de b. virgine et unam de beato Dominico et terciam de beato Petro martire.

Item. Pro domino Arnaldo de Pelagrua⁸, domino Raymundo de Fabricis⁹, domino Bernardo de Gars¹⁰ et aliis eidem domino Arnaldo coniunctis quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro dominis cardinalibus domino Tusculano episcopo¹¹ et domino Berengario nepote suo¹² quilibet sacerdos · i · missam.

² Cf. MOPH III pag. 269 l. 16 sqq.

³ Cf. supra pag. 76 l. 34 sqq.

⁴ Cf. supra pag. 65 l. 13 sqq.

⁵ De fr. Nicolao cf. supra pag. 74 l. 15.

⁶ De fr. Nicolao card. tit. s. Eusebii cf. ibid

⁷ De fr. Guilelmo Petro Godin cf. supra pag. 67 l. 21

⁸ De Arnaldo de Pelagrua cf. ibid. l. 24.

⁹ De Raymundo de Fabretis cf. ibid. l. 25.

¹⁰ De Bernardo de Garvo cf. ibid

¹¹ 7 Berengario Fredoli sen., tit. ss. Nerei et Achillei, cf.

Item. Pro dominis cardinalibus domino Neapoleone¹³, domino Petro de Columna¹⁴ et domino Iacobo¹⁵, domino Iacobo Gayetani¹⁶, domino Francisko¹⁷, domino Luca¹⁸, domino Guillelmo de Pergamo¹⁹ quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Albanensi²⁰, domino Prenestino²¹, domino Portuensi²², domino Vitali²³ cardinalibus ac venerabili collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos · i · missam.

Pro domino patriarcha Ierosolimitano²⁴ et dominis archiepiscopis Cantuariensi²⁵, Coloniensi²⁶, Auxitano²⁷, Ravenate²⁸, Compostellano²⁹, Rothomagensi³⁰ quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino archiepiscopo Narbonensi³¹ quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino archiepiscopo Ebredunensi³² quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino archiepiscopo Arborensi³³ et dominis episcopis Podiensi³⁴ et Vivariensi³⁵ quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino episcopo Magalonensi³⁶ quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino episcopo Tholosano³⁷ quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino episcopo Agathensi quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro dominis episcopis Albiensi³⁹, Carcasonensi⁴⁰, Appamensi⁴¹, Agennensi⁴², Argentinensi⁴³, Ferrariensi⁴⁴, Bitterensi⁴⁵, Uticensi, Mimatensi⁴⁶, Lemovicensi⁴⁷, et domino electo Veneto⁴⁸, nepote venerabilis patris domini Hostiensis quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili viro domino Philippo de Maioricis quilibet sacerdos · i · missam.

EUBEL l.c. pag. 37.

¹² Berengario Fredoli iun. ep. Bitteren., tit. ss. Nerei et Achillei, deinde ep. Portuen. ibid. pag. 14

¹³ De Napoleone de Ursinis cf. supra pag. 36 l. 32.

¹⁴ Petro de Columna Romano, diac. s. Eustachii, † Avenione 1326, cf. EUBEL l.c. pag. 11

¹⁵ Videtur esse Iacobus de Columna, diac. s. Mariae in Via lata, † 1318 Aug. 14; ibid. pag. 9

¹⁶ Iacobo Caietano de Stephanescis, Romano, diac. s. Georgii ad vel. aur. † 1341 Iunii 23; ibid. pag. 12.

¹⁷ Francisco Caietano, Bonifatii VIII nepote, diac. s. Mariae in Cosmedin, † Avinione 1317 Maii 26; ibid.

¹⁸ Luca de Flisco e Lavaniae comitibus, diac. s. Mariae in Via lata, postea ss. Cosmae et Dam. † 1336 Ian. 31; ibid.

¹⁹ Guillelmo Longo (de Longis) Bergomensis, dicto “de Pergamo”, diac. s. Nicolai in carc. Tull. † Avinione 1319 Apr. 13; ibid. pag. 11.

²⁰ Arnaldo de Auxio, ep. Pictav. prom. 1312 Doc. 24, † 14 Aug. 1320; ibid. pag. 14.

²¹ Guillelmo de Mandagoto, Lotevensis, aep. Aquen. prom. 1312 Dec. 24, † m. Sept. 1321; ibid

²² Iacobo Arnaldi de Eusa al. Deuza, Caturcensis, ep. Avinion. ep. card. Portuen., postea Ioanne papa XXII; ibid

²³ Vitali de Furno (du Four) Vasatensi, O. Min., provinciali Aquitaniae, tit. s. Martini in montibus, postea (m. Iunio 1321) ep. Alban., † 16 Aug. 1317; ibidem.

²⁴ Petro O. Min. ibid.; pag. 286.

²⁵ Waltero Raynolds; ibid. pag. 169

²⁶ Henrico de Virneburg; ibid. pag. 205.

²⁷ Amanevo; ibid. pag. 123.

²⁸ (S.) Raynaldo Concoreggi; ibid. pag. 436.

²⁹ Roderico del Padron; ibid. pag. 207

³⁰ Aegidio Aycelin; ibid. pag. 447.

³¹ Bernardo de Fargis; ibid. pag. 373

³² Ioanne de Podio (du Puy) O. Praed., capell. S.P. et poenit. apost.; creatur ep. 1311 Mai 26, obiit 1317 mense Sept., cf. EUBEL l.c. pag. 243.

³³ Guidone Cattano O. Praed. cr. 1312 Maii 10; ibid. pag. 102.

³⁴ Bernardo de Castanet; ibid. pag. 91.

³⁵ Ludovico de Poitiers; ibid. pag. 565.

³⁶ Ioanne Raymundo de Cominiges; ibid. pag. 334.

³⁷ Gaylhardo de Preyssae; ibid. pag. 515.

³⁸ Raymundo du Puy; ibid. pag. 75.

³⁹ Beraldo de Fargis; ibid. pag. 80.

⁴⁰ Petro de Rochefort; ibid. pag. 172.

⁴¹ Piloforti de Rabastens; ibid. pag. 94.

⁴² Amanevo de Fargis; ibid. pag. 76.

⁴³ Ioanne de Dirpheim; ibid. pag. 106.

⁴⁴ Ioanne de Dirpheim; ibid. pag. 106.

⁴⁵ Guillelmo Fredoli; ibid. pag. 141.

⁴⁶ Guillelmo Duranti; ibid. pag. 358.

⁴⁷ Raynaldo de la Porte; ibid. pag. 313.

⁴⁸ Ioanne le Parisy (?); ibid. pag. 550.

Item. Pro domino rege Francie et Navarre et bono statu regnorum suorum quilibet sacerdos · iii · missas et quilibet conventus unam de beato Dominico.

Item. Pro domina Clemencia regina Francie quilibet sacerdos · iii · missas et quilibet conventus · i · de beato Dominico.

Item. Pro domina Maria regina Francie et dominis Karolo ac Ludovico avunculis domini regis Francie, uxoribus et liberis eorum quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro dominis Philippo et Karolo germanis eiusdem domini regis, uxoribus et liberis eorum quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino rege Anglie, domina regina consorte sua, quilibet sacerdos · iii · missas. Item. Pro domino Eduardo primogenito eorum quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino rege Maioricarum et domina regina consorte sua, ac domina regina, matre domini regis et domino Ferrando, germano suo, quilibet sacerdos · ii · missas.

Item. Pro domino rege Aragonum, domina regina consorte sua, necnon et liberis eiusdem domini regis quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro dominis regibus Castelle, Sycilie, Portugallie, Ungarie, Boemie, Dacie, Suecie et Norvegie quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino principe Tarentino, Iohanne germano suo, duce Calabrie, uxoribus et liberis eorum, necnon et relicta domini Karoli quondam filii domini principis quilibet sacerdos · ii · missas.

Item. Pro domino comite Cestrie et domina Margarita de Mortuo mari, parentibus ac liberis eorumdem, domino Gualtero de Mortuo mari quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domina Elyonore comitissa Vindoniensi ac domino comite et aliis liberis suis quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domina Beatrice consorte domini vicecomitis Leuimanie ac domina ducissa Athenarum et aliis duabus familiaribus domine regine Francie quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domina Blancha de Britania, domino Roberto filio suo et alia prole ipsius quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domina Beatrice matre quondam domini imperatoris recordacionis felicis quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Dalphyno de Vienna, consorte sua et liberis eorum quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Arnaldo de Landora et aliis fratribus venerabilis patris magistri ordinis et domina Helia sorore sua quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro bono statu Montispezzulani, consulibus eiusdem loci quilibet sacerdos · i · missam. Item. Pro domino Petro Causiti burgensi Montis pezzulani quilibet sacerdos · i · missam. Item. Pro domino Stephano Pellicerii quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Poncio Alemandini quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Geraldo de Rupe quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Iohanne Palmerii quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro aliquibus dominibus de Montepessulano, que procuraverunt capitulum, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili magistro ordinis quilibet sacerdos · iii · missas, unam de spiritu sancto, aliam de beata virgine, terciam de beato Dominico.

Item. Pro reverendo patre fratre Aymerico condam magistro ordinis⁴⁹ quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro fratribus nostris et minoribus et sororibus ordinis nostri ac pro hiis, qui benefecerunt capitulo et qui receperunt fratres venientes ad capitulum ac recipient redeuntes, et pro hiis, qui habent litteras de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos · iii · missas.

Item. Pro venerabili patre domino patriarcha Alexandrino⁵⁰ et dominis episcopis Paduano, Bononiensi⁵¹, Mantuano⁵², Ariminensi⁵³ et Camerinensi⁵⁴ quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro dominis duce Veneciarum Guillelmo de Castro Barcho et domina consorte sua, Cane de Scalis, Federico de Scalis ac aliis de domo eius; Passarino Mantuano et Butirane fratre suo ac aliis de dicta domo; Malatestino de Malatestis, Pandulpho fratre suo ac ceteris de dicta domo, Lamberto de Polenta ac aliis de domo eius, domino Giberto de Pitriolo ac aliis germanis eius et ceteris de dicta domo, domino Bornio de Samaritanis, Romeo de Peppulis, domino comite de Colato, Polberto de Camino, Guezolone de Camino et bono statu domorum suarum quilibet sacerdos · i · missam.

Summa missarum pro vivis · liiii ·

Ista sunt suffragia pro defunctis.

⁴⁹ De fr. Aymerico cf. supra pag. 1 not. 1.

⁵⁰ Aegidio O. Praed.; cf. EUBEL l.c. pag. 81

⁵¹ Uberto Avvocati; ibid. pag. 144.

⁵² Iacobo Benfatti O. Praed.; ibid. pag. 339

⁵³ Friderico Balacco; ibid. pag. 108.

⁵⁴ Bernardo Varano; ibid. pag. 166.

Pro domino Clemente papa · v^o · quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Philippo felicis recordacionis condam rege Francie quilibet sacerdos · ii · missas.

Item. Pro domino Petro condam filio clare memorie domini Karoli regis et domino Karolo condam filio domini principis Tarentini quilibet sacerdos · iii · missas.

Item. Pro domino archiepiscopo Patracensi⁵⁵, domino fratre Consilio condam archiepiscopo Consano⁵⁶ et Stephano nepote venerabilis patris domini Hostiensis quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domina Aysia matre condam venerabilis patris magistri ordinis ac domino patre suo et germanis defunctis quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro dominis Bernardo Fogadii, Raymundo de Monte Ferrario, Bernardo Gossi, domino Alberto canonico, nepote domini episcopi Ferariensis ac dominis Alberto et Iacobo germanis eiusdem quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre fratre Francisco ordinis nostri condam cancellario Parisiensi⁵⁷ nuper defuncto et pro fratribus nostris et sororibus defunctis et pro hiis, qui habebant litteras de beneficiis ordinis, et sepultis in cimeteriis nostris quilibet sacerdos · iii · missas.

Pro domino Azone marchione condam Estensi ac domino Francisco fratre suo defunctis et pro domino Malatesta de Malatestis ac aliis de domo sua defunctis ac domino Thadeo de Pitriolo et domina Valseurina uxore sua ac ceteris de dicta domo defunctis quilibet sacerdos · i · missam.

Summa missarum pro defunctis · xiii ·

Denunciamus fratribus universis, quod tenentur ad suffragia pro fratre Guillelmo de Anhanis diffinitore ad Bononiense capitulum pro provincia Tholosana, qui ad idem capitulum iter arripiens et ad illud nequens pervenire in Pruliano defunctus est, antequam ad conventum proprium pervenisset⁵⁸.

Item. Pro qualibet missa clericus · vii · psalmos, et quilibet conversus · c · pater noster et totidem ave Maria dicant.

Letania in profestis diebus more solito intus et extra ab omnibus dicatur, addendo post versum: Ora pro nobis, b. Dominice, versum: desiderium anime eius tribuisti ei domine, cum oracione, Domine; respondeatur: et voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Preces, quas tibi, domine, offerimus, intercedente beato Petro martyre tuo, clementer intende et pugiles fidei sub tua protectione custodi.

Item. Ordinamus, quod missa de beata virgine et de beato Dominico in qualibet septimana in quolibet conventu, vacante feria, et de beato Petro martyre ad minus infra quindenam sollempniter celebretur.

Committimus magistro ordinis ordinationem studii Parisiensis et aliorum generalium studiorum, ut ipse de magistris ac bacalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Pampilonam in provincia Aragonie; et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavam ascensionis domini veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat, locum intret capituli ante feriam sextam immediate pentecostes vigiliam precedentem.

Quicumque vero sine licencia ad capitulum venerint vel loco capituli cum intencione veniendi ad capitulum appropinquaverint, ex vi presentis ordinationis sint per biennium omni voce privati.

Ordinationem factam in capitulo generali Londoniis ultimo celebrato de non licenciandis ad capitula provincialia nisi sub forma ibidem expressa, cum pena apposita, volumus integraliter observari⁵⁹.

Denunciamus autem voce privatos illos, qui ad presens capitulum generale sine licencia venerunt vel cum intencione veniendi ad capitulum appropinquaverunt loco capituli secundum ordinationem precedentis capituli generalis⁶⁰.

Item. Volumus et mandamus, quod diffinitores anni presentis in redeundo de capitulo generali et diffinitores et socii eorum, qui futuro anno diffinient, veniendo ad capitulum generale et redeundo bene et curialiter recipiantur et caritative tractentur et secundum facultatem conventuum convenienter procurentur.

Mandat magister ordinis prioribus provincialibus universis et eorum vicariis et eis districte imponit, quod propter expensas factas et fiendas in curia Romana quilibet eorum quamcunq; occurrerit nuncius, procuratori ordinis quatuor florenos mittat. Quod si non occurrerit nuncius, saltem indubitanter eos mittat magistro ordinis ad sequens capitulum generale; et qui non solverit eidem procuratori quinque florenos, sicut in generali capitulo Metis celebrato⁶¹ novissime extitit ordinatum, vult omnino et imponit idem magister, quod mittat cum istis florenis · iiiior · illos quinque.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXVIII.

⁵⁵ Rainerio; *ibid.* pag. 412.

⁵⁶ Consilio Gatti O. Praed.; *cr. aep. Consan. (Conza)* 1301 Ian. 30; *ibid.* pag. 210.

⁵⁷ Huius nominis cancellarium universitatis Parisien sis, qui nomen dederit ordini nostro, apud DENIFLE Chartularium etc. non inveni.

⁵⁸ De fr. Guilelmo de Anhanis *cf. supra* pag. 37 l. 27.

⁵⁹ *Cf. supra* pag. 77 l. 20 sqq.

⁶⁰ *Cf. supra* pag. 87 l. 3 sqq.

⁶¹ *Cf. supra* pag. 75 l. 12 sqq.; loco "Metis" legas